



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conversio Peccatoris, Seu Modus quo Peccator communiter resurgit ad justitiam.

Lefelon, Antoine

Bruxellis, 1675

§. 5. Discrimen inter forum paenitentiae & alia tribunalia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9433

illi faciunt ambiguum; quo unum certò falsum fit, & alterum certò verum, sine fundamento unum determinatè verum judicat. Cum æquè illi verisimile fit illud esse falsum. Quod de ambiguo dixi, dicendum est & de probabili, in casu enim posito quantumcumquè utraque contradictorii pars fit probabilis, tamen unius determinatæ nec satis constat veritas, nec etiam satis constat falsitas, ac per hoc imprudenter una determinatè vera judicatur.

§. V.

Discrimen inter forum pœnitentiæ & alia tribunalia.

NOtanda nunc est hujus fori ab aliis tribunalibus differentia. In his, ut dictum est, sistitur quispiam ut criminis reus condemnetur; ac per hoc reus probari debet, ut damnationis sententia justè in eum feratur: deficiente verò probatione licèt se innocentem convincentibus argumentis non probet, liber dimittitur. Ad istud verò pœnitentiæ forum accedit peccator ut à peccato conversus ejus vinculo solvatur, ac per hoc conversus probari debet ut solvatur seu absolutionis sententiæ in eum proferatur.

De

Deficiente verò hac probatione, licet contrarium, hoc est, ejus non conversio moraliter certò non constet, nisi aliud cogat necessitas, non est solvendus.

Ex quo patet nullius momenti esse quod objicitur ex S. Thoma dicente 2.2, q. 60. a. 4. *Vbi non apparent manifesta indicia de malitia alicujus, debemus eum ut bonum habere, in meliorem partem interpretando quod dubium est.* Hoc enim ad privatum cujusquè judicium pertinet, quo quisquè æstimandus est probus nisi probetur improbus. Ac per hoc improbitas probari debet, quæ in dubio non probatur ut possit non-probus haberi: hîc verò conversus probari debet ut absolute judicetur dignus.

§. VI,

Licet aliquando ad cautelam in dubio pejorem partem supponere.

DEindè ad cautelam licet in dubio pejorem partem supponere: & sic ait ibidem ad 3. idem S. Doctor: *Cum debemus aliquibus malis adhibere remedium sive nostris sive alienis, expedit ad hoc ut securius remedium apponatur, quod supponatur id quod est deterius: quia remedium quod est efficax contra majus malum, multò magis est efficax contra mi-*